



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

LI. Ad actus supernaturales necessarium non esse auxilium præutum per
modum concursus, sed simultaneum sufficere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

modum, quo prout excitatione morali, vel adiun-
cto concursu physico concomitante, voluntas hu-
mana liberè & ineffabiliter, efficit actum, quem
diuina voluntas prædefinierat, seu prædestinaue-
rat, quis autem hic modus sit, in l. 5. explicabimus.

CAPVT LI.

Ad actus supernaturales necessarium non esse
auxilium præuium per modum con-
cursus, sed simultaneum
sufficere.

Hæc est conclusio principalis, propter quam
eliciendam, ad omnia, quæ de concursu Dei
in præcedentibus capitulis dicta sunt, neces-
sitate compulsi digressi sumus, quia neque sine illo
principio hæc assertio fundari poterat, nec illo
principio stabilito alia probatio necessaria, quia est
evidens conclusio, ut auctores contrariæ senten-
tiæ etiam fatentur, nec enim ob aliud requirunt ad
actus gratiæ, concursum præuium eiusdem ordi-
nis, nisi quia putant esse per se necessarium ex gene-
rali ratione actionis creatæ, seu causæ secundæ. Sic
igitur nos ex contrariis principio ita concludimus.
Actiones naturales siue necessariæ, siue liberae, ex
vi dependentiæ essentialis à prima causa, non re-
quirunt concursum præuium in causa; ergo nec
actiones supernaturales, & gratiæ illum necessariò
postulant. Probatur consequenter. Tum quia ea-
dem est ratio dependentiæ à proportionem seruata re-
spectu Dei, ut est prima causa naturalis, vel super-
naturalis; tum etiam, quia non minus potes est ha-
bitus, v. g. charitatis, aut lumen gloriæ respectu su-
arum actionum supernaturalium, quam sit volun-
tas, vel intellectus in ordine ad actiones sibi conna-
turales; ergo sicut hæc potentia solum indigent con-
cursu concomitante, ita etiam illæ virtutes. Tum
denique, quia omnes actiones factæ de aliis causis
tam naturalibus, quam liberis seruata proportio-
ne hic locum habent.

Vnde possumus assertionem hanc auctoritate D.
Thomæ confirmare, nam in l. 2. q. 109. non alium
concursum Dei postulat ad supernaturaliter ope-
randum supposito sufficienti principio interno
gratiæ, nisi generalem illum, quem Deus prebet
causis secundis vnicuique accomodatam, seu
magis, vel minus perfectam, & inferioris, vel supe-
rioris ordinis, iuxta gradum, & perfectionem cau-
sæ. Sic in art. 4. dicit, hominem tam in statu nature
integre, quam lapsæ indigere gratia; id est, interno
supernaturali principio operatiuo ad diligendum
Deum ex charitate, & insuper in utroque statu in-
digere auxilio Dei mouentis, per quod concursum si-
multaneum intelligit, ut supra declaratum est. Et
in art. 9. ad opera supernaturalia, duo dicit esse per
se, & in vniuersum necessaria, scilicet, habitum
gratiæ, & motionem illam Dei, quæ ex generali
ratione dependentiæ omni rei creatæ à Deo neces-
saria est, quæ est tantum motio cooperatiua, licet
in statu nature corrupte ob alias rationes indigeat
homo aliis auxiliis.

Possumus etiam ad conclusionem confirman-
dam Augustini auctoritatem inducere, quatenus
in multis locis dicit, esse in potestate hominis vo-
cati, & sufficienter præparati habere operationem
liberam, & supernaturalem si velit, & consequen-
ter habiturum etiam concursum necessarium ex
parte Dei, si per eum non iter: hæc enim subsistere
non possunt, si præuius concursus ultra simulta-
neum esset in operibus gratiæ necessariis, quia ta-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

lis præuius concursus cum à solo Deo fiat, ab eius
sola voluntate pendet, ut paulo antea de præde-
terminatione ad actum peccati ostendimus. Est
etiam eadem proportionalis ratio in præfenti, quia
homo non potest se disponere ad illum concursum
præuium: naturalis dispositio deberet esse super-
naturalis, & ad illam esset necessarius concursus
præuius, & sic procederetur in infinitum, & sic li-
stendum est in primo, qui à solo Dei arbitrio pen-
deat. Vnde è conuerso ex omnibus locis in qui-
bus Augustinus docet posita vocatione, & princi-
pio sufficienti gratiæ, esse in nostra potestate velle
aut nolle, & ad hanc aut illam partem determinari,
apertè docet concursum Dei ad vtrumque neces-
sarium esse nobis oblatum, & in nostra esse pote-
state, ac subinde non esse præuium, neque ad v-
num determinatum, tale est illud Augustini, *Con-
sentire, & dissentire, nostre voluntati est*, de spirit. &
liter. cap. 34. Quod velimus nostrum esse, licet Dei
sit vocando dicta q. 2. ad simplicianum Deum esse
offerre, & inchoare gratiam accipere esse in nobis,
epist. 45. Denique posse hominem sibi tribuere,
quod venerit vocatus, lib. 83. quæst. q. 68. Vnde eiusdem
locis carentiam consensus homini dicit esse tri-
buendam, quod certe intelligi non posset, nisi con-
cursus esset in hominis potestate, quod proprium
est concursus simultanei; sed hæc pluribus discuti-
enda sunt, transectando inferius de auxilio effica-
ci, de quo ferè eadem est ratio.

Et ob eamdem causam omitto hic duas funda-
mentales rationes ab inconuenienti sumptas, ob
quas etiam in operibus gratiæ non potest talis con-
cursus præuius esse necessarius. Vna est, quod si disindicat
talis concursus præuius est necessarius & Dei arbi-
trio datur, quibus non datur ita sit impossibilis remissæ
via salutis, ut non sit in potestate eorum habere id,
fine quo non possunt viam illam ingredi, nedum
in ea progredi, & eam consumere, id est, ut non sit
in eorum potestate, velle credere, sperare, amare;
quia hæc sine auxilio præui fieri non possunt, &
illud non habent, neque ad illud habendum quid-
quam facere possunt. Alia ratio est, quia opera fa-
cta impulsu talis concursus præuij non essent libe-
ra, quia talis concursus à solo Deo sit antecedenter
in voluntate, cui illa resistere, aut dissentire non
potest. Sed hæc rationes communes sunt ad omne
auxilium de se efficax, ac prædeterminans sua vi
voluntatem, & ideo illas pressius lib. 5. expendi-
mus. Nunc duo aduerto. Vnum est dicta omnia
facile procedere respectu habituum infusorum,
habere autem nonnullam difficultatem in actibus
supernaturalibus, qui sine habitibus sunt; nihil-
ominus tamen in illis verasunt, quia licet neces-
sarium sit efficaciam habitus per aliud principium
supernaturale, siue inhaerens, siue adsistens supple-
ri, nihilominus illud principium non datur per
modum concursus præuij, sed per modum proximi-
tatis virtutis, seu adiutorij, quo posito solum spe-
ctatur concursus simultaneus.

Vnde aliud aduertendum est assertionem in v-
niuersum procedere, quando potentia hominis ex
omni parte est sufficienter constituta in actu pri-
mo ad operandum supernaturaliter, ita ut virtu-
tem per se effectiuam supernaturalis ordinis, &
omnia ad operandum prærequisita ex parte prin-
cipij habeat. Vnde maximè habet locum in poten-
tia habitu supernaturali instructa, & in suo ordi-
ne sufficienter excitata. Ideoque cauendum est ne
per æquiocationem à necessitate auxilij præue-
nientis fiat transitus ad concursum præuium, plus
enim, quam cælum à terra distant, nam concursus
non locum habet, nisi postquam potentia neces-
sariis auxiliis sufficienter præuenta est. Item quia
præuenientia auxilia ad gratiam excitantem per-
tinent;

4. Rationes ab
inconuenienti
sumptas, ob
quas etiam in
operibus gratiæ
non potest talis
conkursus præuius
esse necessarius.

5. Quomodo
si intelligi
da assertio.

rinent, vt supra visum est: concursus autem simultaneus imbibitur in actu gratia cooperantis, & si daretur praeuius, non esset per modum excitationis, quia est actus vitalis, sed per modum motionis non vitalis, & ab extrinseco agente tantum recepta, & hanc dicimus etiam ad opera gratia per modum concursus praeui non requiri.

6. *Fundamentum vnicū aduersario rum initiū salutis fore à nobis de struitur.* Atque hac vnica animaduersione facile soluitur fundamentum contrariae sententiae, quatenus de his actibus supernaturalibus praecipue loquitur, erat autem fundamentum cap. 1. vltimo loco positum, quia aliās initium salutis, seu actus, v. g. fidei, vel amoris Dei super omnia, in quibus nostra salus consistit, esset ex nobis quod scripturis sanctis, & Conciliis repugnat. Hoc ergo fundamentum dicimus solum nisi in equiuocatione verborum. Nam initium salutis, vel iustitiae, aut boni operis in vsu Conciliorum, & Patrum, non significat actum ipsum liberum, prout à Deo, vel ab homine prius fit, sed significat actum aliquem priorem actu ipso libero, qui sit principium eius, & à quo salus hominis inchoetur. Hoc probamus aperte, primò ex Concilio Trident. sess. 6. dicente.

Conc. Tri. *Declarat sancta Synodus ipsius iustificacionis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum praeueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione.* Nunquid vocatione est praeuius concursus ad consensum, quem potest tempore antecedere? Secundò idem initium vocauit Concilium praeuenientem Spiritus sancti inspirationem in Can. 3. dum definit. Si quis sine praeueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, & c. illa enim duo auxilia ad omnes actus supernaturales requirit, & inspirationem praeuenientem ponit, vt primam gratiam, quae exordium salutis. Quam enim in c. vocationem appellauerat, statim vocat excitantem gratiam, & hanc deinde vocat Spiritus sancti illuminationem, & inspirationem. Hoc ergo est initium salutis, & singulorum actuum fidei & spei, & c. Tertiò hoc ipsum satis probat illud ipsum Concilium, quod in contrarium allegatur Araulicanum II. nam in cap. 5. dum initium fidei in nobis fieri per gratia donum definit, ita exponit illud gratia donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti, corrigentem voluntatem nostram. Et eodem modo loquitur in cap. 6. 7. & sequentibus, actandem in 25. vbi dicit, hoc salubriter confirmatur, quod in omni opere bono nos non incipimus, & statim declarat quomodo Deus incipiat, dicens, sed ipse nobis nullis praecedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat.

7. Eademque fuit sententia Augustini, semper enim Quid sit de salutis initium ad vocationem, vel sanctam cognitionem salutis reductionem reducit, & ideo dicit omnem pium voluntatis motum Deo tribui, vt viderelicet dicta q. 2. ad Simplicianum c. 9. vbi ait, ideo initium boni operis esse ex Deo, quia non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sentiens ex sancta cogitatione initium illud sumi. Et de eadem re est egregium testimonium Zosimi Papae, Caesertini, & Concilij Africani, & Prosperi auctoritate firmatum in epist. Caesertini cap. 8. vbi hoc initium instinctus Dei appellatur, & illo mediante omnia bona ad Deum authorem suum referenda dicuntur. Idem confirmat aliis locis Prosper, praecipue ad excepta Genuenium, & contra Collator. & Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 8. & lib. de Incarnatione. & gratia cap. 17. & 19.

8. *Confirmatur.* Hoc etiam probat quod cap. 1. & 2. huiuslibri diximus, excitationem esse primam gratiam, quia à sancta cogitatione incipere debet omnis sancta voluntas & operatio: in vnoquoque autem ordine id quod est primum, est initium totius rei; unde quia gratia est causa salutis, primum auxilium gratia est initium salutis. Et praeterea vsi sunt Pa-

tres illo modo loquendi contra Semipelagianos, cum quibus non erat disceptatio de modo concursus diuini, sed de primo auxilio. Nam Semipelagiani dicebant nullum esse, quia etiam vocatione datur ex humano merito, vt in Prolegomenis visum est. Partes autem vt gratiam defenderent, dixerunt, primum auxilium esse gratia, ac salutis initium, ac proinde esse prius omni humano merito, & libera cooperatione. In hoc ergo sensu loqui oportet de initio salutis, vt sententias Conciliorum & Patrum à quibus istae voces sumptae sunt, intelligere possimus, alioqui si per nouas impositiones significatio reddatur incerta, etiam definitiones Patrum eludentur, & ad falsa dogmata probanda retorqueri poterunt.

Hinc ergo facile intelligitur probationem illam parum rei praesenti deferre: vt autem res evidentior fiat, formalis illi respondebimus. Nam cum in illo fundamento inferitur, si voluntas affectu charitatis habitu, sine concursu praeui posset in illo habitu ex innata libertate, primò incipere actum illum, distinguenda in primis est particula primò, nam ferè eodem modo, quo supra illam distinximus, seruata proportione. nam potest dicere de relationem ad priorem gratiam, & illam excludere, & sic negatur sequela, quia secundum sententiam nostram etiam potentia habitu infuso per se, quia non potest operari sine praeuia excitante gratia, & ita non ipsa potentia primò incipit actum, sed gratia, quae illam excitat. Qui autem putant potentiam affectam habitu non indigere semper excitatione, etiam negabunt sequelam, vel quia ante habitum praecessit excitatio, quae virtute manet, vel quia ipsemet habitus habet vim excitationis, hoc enim etiam ipse arguens alibi fateretur, quod tamen nullo modo nobis placet, vt supra cap. 1. & 2. diximus, & ideo verius est requiri proprias excitationes etiam ad actus procedentes ex habitu, imollet dandus esset praeuius concursus, adhuc praecederet excitans gratia. Ergo respectu illius nullum fundamentum habet illatio.

Potest autem aliter particula primò dicere relationem ad ipsummet charitatis habitum, & tunc potest illa particula vterius positum sumi, aut negatiue. Priori modo significat voluntatem prius efficere amoris opus, quam charitatis habitum, & sic falsum est consequens & mala illatio. Nam licet voluntas sine praeui concursu vtatur habitu, non tamen vtatur illo sine influxu illius, neque prius elicit actum, quam ipse habitus, nec se determinat, quin simul habitus determinationem efficiat. Nam licet habitus charitatis dicatur determinari ad vsum, & exercitium à voluntate, in qua inest, quia libertas, & indifferentia, quae est proxima radix illius determinationis, est à voluntate, nihilominus ibi non intercedit ordo prioritatis in causalitate, sed solum specialis habitudo ad talem actionem propriam voluntatis, ratione cuius respectu illius peculiari modo denominatur determinatio. Posteriori autem modo, scilicet, negatiue verum est consequens, & optima illatio, quia habitus charitatis ordine causalitatis non prius influit in actum, quam voluntas, vt per se notum est, & infra in lib. 6. ex professo dicitur.

Tertiò potest illa particula primò dicere relationem, seu comparisonem ad Deum concurrentem cum voluntate, & eadem subdistinctione vtendum est, nam potest, & negatiue, & positue intelligi. Positiue significat liberum arbitrium prius operari, quam Deus concurrat, & quia hoc falsum est, tam male inferitur: nam cum dicamus concursum illum esse simultaneum, vnde inferri potest influxum liberi arbitrij esse priorem? imò ex illo antecedente contrarium aperte sequitur, cum

tum quia simul, & prius opponuntur, tum etiam, quia illa similitudo est per essentialiam dependentiam actionis causa secunda à prima, & ideo contradictionem implicat talem actionem esse prius ordine causalitatis à causa secunda, quàm à prima, quia repugnat rem esse prius, quàm suam essentialiam habeat.

At verò negativè significat illam particulam Deum non prius efficere per se, & immediatè illum actum per suum concursum generalem, quàm liberum arbitrium per suum, & sic admittimus sequelam, nam & illatio optima est, & consequens verissimum, loquendo de prioritate causalitatis, secus verò de prioritate independentiæ, & dignitatis, ac efficacitatis, sicut in aliis actionibus causarum secundarum declaravimus: nam quoad hoc nihil habent peculiare opera gratiæ, sed solum in excellentia, & perfectione ipsiusmet concursus simultanei, ut iam satis explicavimus. Neque hoc possunt negare auctores primæ sententiæ, quoad simultaneum concursum, nam licet opponant prævium, negare non possunt simultaneum etiam in operibus gratiæ, sicut reuera non negant, ergo in eo signo naturæ in quo iam elicitur, & immediatè fit ipsa actio voluntatis supernaturalis, necesse est, ut homo sit primò operans in dicto sensu, quia in eam actionem non prius operatur Deus. Dicent iam præcessisse operationem Dei per prævium concursum, ratione cuius initium illius actionis tribuitur Deo. Respondemus imò præcessisse excitationem, & vocationem Dei, quæ est verum initium gratiæ, & salutis, nobis traditum à Conciliis, & Augustino: aliud autem initium in eis non legimus, neque necessarium reputamus, saltem ratione generalis concursus, an verò ob aliam peculiarem causam ponendum sit, in lib. 3. expendimus.

Similis æquiuocatio committitur in altera probatione sumpta ex Concilio Senonensi, quia in præfatione dicit, *In bonis operibus efficiendo, & liberum arbitrium operatur, & gratia, primò tamen & principaliter gratia, & qui primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratia, Pelagius censendus est.* Quasi ex his bene inferatur, qui dicit liberum arbitrium simul cum Deo operari bonum actum, & Deum per generalem concursum, non prius natura illum actum efficere, primam tribuere libero arbitrio, quæ illatio prorsus sophistica, & absurda est. Nam in primis ibi Concilium non loquitur in specie de concursu, sed in genere de gratia, & ita nullum argumentum sumi potest ab inferiori ad superius negatiuè, ut non sequitur, non est homo, ergo non est animal, ita etiam non sequitur, concursus Dei non prius operatur, quàm influxus liberi arbitrii, ergo gratia in bonis operibus efficiendis non est prior. Quocirca licet priori sententiæ demus, particulam primò significare ordinem causalitatis, & naturæ, nihil inde probatur, quia illud est verissimum ratione gratiæ præuenientis, quæ præcedit semper omnia opera nostra, in suo genere est principalis causa eorum, licet, physice loquendo, principalior sit causa adiuvans, quàm liberum arbitrium, & ita ratione utriusque gratiæ propriissimè posite sunt illæ duæ partiæ primò, & principaliter. Neque posterior consequentia maiori probabili-

tate inducitur, quia primatus non significat ordinem causalitatis, sed dignitatis, & virtutis, & in hoc præstat gratia, non solum ut est specialis virtus causæ secundæ in suo ordine, qualis est charitas, & aliæ virtutes infusæ, sed etiam ut extenditur ad concursum generalem in illo ordine. Imò non solum in operibus gratiæ, sed etiam in omnibus actionibus causarum secundarum primarum habet efficientia Dei per suum generalem concursum, etiam si simultaneus sit. Ac denique licet gratis demus vocem primatus positam esse propter ordinem causalitatis, non adstruitur respectu concursus, sed respectu gratiæ, de qua certissimum est, esse primam in causando, & mouendo liberum arbitrium, quod solum potest ad primatum sic impropriissimè explicatum pertinere.

Ultima probatio erat, quia alias haberet homo in negotio salutis aliquid proprium, quod non haberet ex gratia, contra illud Pauli, *Quid habes, quod non accepisti?* quod argumentum magni facere solent dicti auctores ad probandum auxilium efficax, an ex peculiari ratione ordinis gratiæ requiratur, solum dicimus, non rectè applicari argumentum ad concursum generalem: alias peccator in peccatis suis dicere posset, *Quid habeo, quod non accipit à Deo, quia quid, quid feci, ipse fecit, ut facerem concursu prævium non minus efficaci in suo genere, quàm concursus gratiæ licet in suo ordine.*

Respondemus ergo negando sequelam, quia etiam si non detur concursus prævius in ordine gratiæ, nihilominus quicquid est in homine bene operante conferens ad salutem, totum id habet à Deo, quia in homine nihil huiusmodi invenitur, nisi vel antecedentia auxilia, vel habitus infusi, & actiones eorum, vel prout sunt actus perfecti, & qualitates quædam. Omnia autem hæc habet homo à Deo, ut ab auctore gratiæ, de antecedentibus enim auxiliis, iam satis id ostensum est, de habitibus id nunc suppono, ut certum apud omnes. De actionibus in fieri patet ex proximè dictis, quia illæ actiones immediatè fluunt à Deo, à quo essentialiter pendent, & mediantibus illis actionibus etiam actus, seu qualitates actuales sunt dona gratiæ Dei, ut supra etiam declaratum. Quid ergo subtrahitur gratiæ Dei? nunquid quod actiones, & actus non sunt à solo Deo? At hoc etiam posito concursu prævius, necessariò dicendum est. Dicent fortè, hoc, quod est agere, seu determinari ad actionem, non tribui gratiæ Dei. Verumtamen hoc etiam est falsum, quia agere non est aliquid ultra actionem ergo si actio est à Deo per concursum simultaneum, etiam agere est à Deo, ex vi eiusdem concursus, & remoto prævius. Determinatio autem si sumatur ante ipsam actionem, nulla est, & ita nihil ex hac parte tribuitur homini, si verò sumatur: ut per actionem ipsam formaliter sic, licet nihil addit, ipsi actioni, neque in se habet aliquid quod non sit à Deo per generalem concursum simultaneum. Quid ergo reale est in donis gratiæ, quod dicatur homo habere sine Deo, seu absque influxu gratuito Dei? Nulla est ergo necessitas prævii concursus. Et hæc de speciebus auxiliorum gratiæ dixisse sufficiat.